DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE FEBRE ARDENTE,

QUAM,

Præside Deo Opt. Max.

Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,
D. JOHANNIS COCCII, in Inclytâ Lugd. Batav. Academia Eloquentiæ & Historiarum Professoris Celeberrimi,


NEC-NON

Amplissimi Senatûs Academici Consensu, & Almæ Facultatis Medicæ Decreto,
Pro gradu Doctoratûs, summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè & legitimè capiendis,

Publico examini subjicit

SAMUEL GOTTLIEB SCHOLTZ, Herrnstad. Silesius.

Die 26. Martii loco, horisque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud Viduam & Hæredes JOHANNIS ELSEVIRII, Academiæ Typograph.
CIↃ IↃC LXXVI.

Viris Nobilissimis, Excellentissimis, atque Experientissimis,

D. SALOMONI REISELIO, Med. Doct. Illustriss. Comit. Hanoviens. olim Archiatro dignissimo, nunc verò Physico atque Practico Wormacensi celeberrimo, Avunculo suo omni amoris atque honoris cultu prosequendo.

D. JOHANNI FRIDERICO HELVETIO, Med. Doctori Hagiensi Famigeratissimo, Practico Felicissimo, Chymico probatissimo, Patrono atque Præceptori suo, maximâ observantiâ in æternum colendo.

NECNON

Prudentissimis atque Spectatissimis Viris,

D. GEORGIO ADLERO, Civi inter Vratislavienses honoratissimo, Hospiti olim gratissimo, hactenus studiorum suorum Fautori incomparabili.

D. FRANCISCO DIONYSIO FISCHERO, Pharmacopœo Effurtensi celebri, Amico suo integerrimo.

UT ET

Nobilissimis, Clarissimis atque Doctissimis Viris,

D. DAVIDI SCHOLTZIO, S. S. Theol. Candidato.

D. FRIDERICO SCHOLTZIO, J. U. Candidato, Fratribus suis dilectissimis.

Hanc suam Disputationem Inauguralem, eo quo par est animo

dedicat

SAMUEL GOTTLIEB SCHOLTZ,

Auctor.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FEBRE ARDENTE,

PROOEMIUM.

Quanquam DEUS, *utpote summus atque sapientissimus rerum Conditor, maximoperè sit suspiciendus in omnibus Creaturis, potissimum tamen imperscrutabilis ipsius Sapientiæ Exemplar, Homo vocari meretur. Quicquid enim in hoc amplissimo mundi theatro sese nobis contemplandum sistit, nulla ratione hominis comparari potest præstantiæ. Sive enim corpus ipsius integrum, sive minimas spectemus partes, omnia nos trahent in maximam admirationem. Si verò consideremus, quibus obnoxius sit calamitatibus atque morbis, obstupescimus, humanamque deplorantes fragilitatem exclamare cogimur: Quid nos sumus, qui aliquid esse videmur? Homuli, & in quibus ætheree illius partis emicat aliquid fortasse, sed non sine adjunctâ fæce. Ne autem in tantis miseriis atque infirmitatibus humanum genus constitutum, omnibus auxiliis esset destitutum,* DEUS *benignissimus, remedia, solamen ipsi adferentia, innotescere voluit; hæc adhibere autem non vulgi, sed prudentis est Medici, quem post numerosos exantlatos labores, ad intimiora Naturæ penetralia admittere, atque contemplanda dare, dignatus est Omnipotens. Multis quidem primos vix limites salutare contingit, eapropter ad ægros suos vocati, neque morbum, neque hujus genuinam dignoscentes causam, Empyricos agant, necesse est. Herophilus, nihil medicamenta juvare, inquit, nisi bene adhibentem invenerint. &*

sanè

ſanè uti nec ex quolibet ligno fit Mercurius, ita nec ex quovis homine Medicus. Propterea cavendum eſt, ne quis idem experiatur, quod ille, cui celebris quidam Medicus præſcripſerat medicamentum, cujus beneficio priſtinam recuperaverat ſanitatem. Cum autem paulò poſt rediret morbus, atque æger ad idem confugeret remedium, nullo tamen cum ſucceſſu, quærens quare non ut antea juviſſet, reſponſum tulit à Medico: quoniam à me non fuit ordinatum. Nobis cum animus eſſet Diſputationem hanc conſcribere inauguralem, operæ pretium eſſe duximus, talem noſtris cogitationibus ſubjicere Affectum, qui toto ferè die inter homines utpote ipſis inimiciſsimus graſſari non deſinit, quique noſtra ſaginare cæmiteria atque caſtra depopulari ſolet; cujus cum hactenus aliquam nobis ſuppeditaverit cognitionem praxis quotidiana, magni noſtri Patroni Dn. Iohannis Friderici Helvetii Med. Doct. atque Practici Hagienſis famigeratiſsimi, eo alacriori animo eundem nobis contemplandum ſumſimus. Dum itaque indubitatâ fiduciâ nobis æquum L. B. promittimus judicium atque favorem, abſque ulteriori præfatione bono cum DEO ipſum aggredimur opus; ſit ergo

THESIS I.

De Nomine hujus Febris non adeò fuimus ſolliciti, quanquam pro ſymptomatum varietate, varia ſortiatur nomina ſive appellationes, interim tamen, ſi non omnibus, iis ſaltem, quos evolvere nobis contigit, ſcriptoribus, *Febris Ardens* communiſſimè appellari conſuevit. Germani dicunt Das hitzige fieber.

II.

Diſtinguitur alias ab Authoribus in *exquiſitam* atque *notham*; *exquiſitam* vocant, quæ duo inſignia ſymptomata habet, calorem nimirum flagrantiſſimum, ſitimque inextinguibilem, & ut ita dicamus, clamoſam; *notham*, in quâ vel utrumque horum, vel alterutrum mediocriter ſeſe habet. Variæ hinc inde occurrunt apud Medicos diſtinctiones, ſed haſce nequaquam noſtras facientes, potius, dum alias hæc febris inter ſynochas ſive continentes refertur,

quæ

quæ ſubdividuntur in Bilioſas atque Lymphaticas, hanc Febrem Ardentem Bilioſam vocare, neutiquam veremur.

III.

Miſſis etiam aliorum variis definitionibus, ſtatuimus, non incongruè eam definiri poſſe, quod ſit; *Sanguinis efferveſcentia præternaturalis, cum Ardore præcipue atque ſiti conjuncta.*

IV.

Cum autem *Febrem* hanc *Bilioſam* vocare non dubitaverimus, maxima ſanè culpa in Bilem rejecta videtur, qua ratione verò maſſæ ſanguineæ mixturam invertere, tantique ardoris cauſa exiſtere poſſit, explicandum venit.

V.

Neceſſarium quapropter fore exiſtimamus, Bilem, vitæ noſtræ balſamum, in naturali contemplari ſtatu, quod ſi hoc fecerimus, facilè unicuique patebit, quomodo præter naturam conſtituta, varios in corpore morbos atque ſic quoque *Febrem Ardentem* producere poſſit.

VI.

Non autem in veſicula fellea generatur bilis, ſed ut cæteri in corpore liquores, ſeparatur ex ſanguine, & quidem venoſo, per acinos hepatis glanduloſos, microſcopio alias tantum conſpicuos, in Hydropici tamen cujuſdam Erffurti A. 1674. ab Experientiſſ. Dn. Joh. Chriſtophoro Ruperti Med. Doct. atque Anatom. P.P. Præceptore noſtro honorando, diſſecti hepate ſcirrhoſo, nudis eos oculis obſervare potuiſſe, meminimus. Ejuſmodi hepatis ſcirrhoſi nuper quoque in publico theatro Anatomico mentionem faciebat D.D. Carolus Drelincurtius, Conſiliarius & Medicus Regius in Galliis digniſſimus, Praxeos & Anatomes in hac Academia Profeſſor feliciſſimus, acutiſſimus, Præceptor atque Promotor meus maximo honore ſuſpiciendus, ubi profitebatur, ſe alios acinos triangulares, alios quadrangulares conſpexiſſe. Bilis verò ſale lixivo volatili & oleoſo aqua copioſa diluto conſtat. Cum enim maſſa ſanguinea diverſas, inprimis verò ſalinas, alcalinas, acidas & ſulphureas in ſe foveat particulas, ex quibus nonnullæ, per certam minimarum iſtarum glandularum texturam, tanquam per quoddam cribrum ſecernuntur & bilem conſtituunt. Contenta hæc in bile, ſal nempe lixivum & oleoſum demonſtrari poſſunt; primum quod attinet, præmittendum prius erit, nos hic non intelligere ſal

ejusmodi lixivum artificiale, & igne parari solitum, sed tale quod alcalinam virtutem habens acidis adversatur. Sapor amarus de vi illa testatur, cum enim amara id agere, quod alcalia, notissimum sit, e. g. cerevisias, nil melius ab acescentia, quam amara conservant, idem quoque virtus incisiva & rarefactiva (cum acida potius constringant) manifesto probat, ob quam causam pictores bilem coloribus suis immiscent, per quos se quam longissime diffundit. Observante quoque Diemerbroccio bilis ex folliculo eductæ semicochleare integræ libræ aquæ infusum, sufficienter eam colore suo tinxit. Imo fel tauri, ob virtutem abstergendi ac alvum stimulandi addi solet Clysteribus. Partem vero oleosam ostendit bilis, aquosioribus ejus particulis vel evaporatis, vel etiam destillatione abstractis; remanens quippe mellago maxime est inflammabilis, quale experimentum hactenus aliquoties inter privatos fecimus parietes.

VII.

Separata hoc modo bilis, partim ad folliculum, ut ulteriorem in ipso à glandulis tunicis vesicæ propriis, sortiatur perfectionem; (quas glandulas in Hydropico inquisitionibus Anatomicis in Nosocomio 29. Novembr. anni elapsi vir Clariss. Lucas Schacht P.P. atque Præceptor noster colendus, egregiè demonstravit) partim per poros bilarios defertur ad intestina, ibidemque alimentis in ventriculo in cremorem subacidulum resolutis, se adjungit, saleque suo volatili oleoso acorem à stomachi digestione nonnunquam superstitem infringit & temperat, & heterogenearum excrementitiarum partium secessionem & præcipitationem promovet; imo chylo etiam, asserente hoc Cl. Tackio in Chrysogonia animali & minerali pag. 28. & seqq. parte sua sulphurea dispositionem pro futura sanguificatione, & in Tincturam rubram faciliori exaltatione, occulte communicat. Examinatam enim per destillationem bilem, tincturam sulphuream, instar Rubini, præbuisse, inquit laudatus Tackius. Huc quoque ex Miscellaneis Curiosis Germanicis observatio 61. D. D. Joachimi Georgii Elsneri Practici quondam Uratislaviensis celeberrimi, trahenda est, qui dum Parisiis viveret, atque in cane dissecto, ligaturam vasis lacteis injiceret, post aliquot horas invenit liquorem rubicundissimum, sanguinis instar, loco chyli, manifesto indicio hunc colorem antea intus latitasse. Hinc bile deficiente, vel sale ejus volatili oleoso vitiato,

debita

debita deficit ſanguificatio, unde cachexiæ, hydropes, icterus &c. oriuntur. Eâdem acri nimis ac oleoſâ exiſtente naturalis ſanguinis pervertitur mixtura, indeque febriles efferveſcentiæ concitantur. Interim ſanguini etiam in hepate bilis aliquam portionem communicari probabiliter aſſeri poteſt cum Diemerbroccio, qui in Anatomes ſuæ lib. 1. cap. 16. p. 156. ſtatuit, quod fermentacea atque imprimis biliosâ qualitate ſanguis ex hepate in cavam profluens perfuſus ſit, liquere id, ſi in recenter occiſo animali, mox hepar à cava abſcindatur, & tunc ex eo effluens ſanguis colligatur, eique ſpiritus nitri affundatur, ſtatim enim æruginoſum fieri, id verò in nullo alio contingere. Imò ipſa lympha in hepate ex admiſtâ ei bile & flavedine & amariſculo imbuitur ſapore; quod teſtantur viri magni nominis Franciſcus de le Boë Sylvius in diſput. de vaſis lymphaticis & Kerkringius in obſervat. Anatom. obſerv. 5. p. 17. Conſideratis autem iis, quæ ad naturalem bilis exiſtentiam videbantur pertinere, perpendendum reſtat, quam, ut introducat Febrem Ardentem, diſpoſitionem requirat.

VIII.

Quam primum ergò officio ſuo fungi deſinit, ſive per totius corporis partes, furibunda ruit, eo ipſo momento indignantes, vel ipſius impeditum fluxum, vel vitiatam eſſe concludimus.

IX.

Utut autem huc ſpectare non videatur, recenſere, quæ mala abſentiæ bilis originem ſuam debeant, lubet tamen; quò ipſius dignitas atque utilitas eò magis innoteſcat iis, qui hunc vitæ balſamum, tanquam excrementum inutile è corporis noſtri regione proſcribendum putant, in medium producere Icterum, ubi obſtructis veſiculâ & poro bilari, maſſæ in ventriculo fermentatæ, inque inteſtina delatæ, partes utiles ab inutilibus ſecerni nequeunt, unde multa ſymptomata, præſertim verò totius corporis contabeſcentia ſubſequi ſolet. Hic quoque memoratu dignum eſſe judicamus, quod cum ante triginta circiter annos innumeri boves in Poloniâ quaſi exortâ quadam peſte, interirent, nihil vitii in eorum cadaveribus diſſectis obſervatum fuerit, quam quod fellis veſica tota in lapidem fuerit converſa. Quod cum ad Wirſungium Medicum Patavii celeberrimum perſcriberetur, ipſe omnis luis cauſam in lapidefactam cyſtim rejecit. Simile exemplum Fernelius l. 6. ſympt. c. 5. refert de decrepito quodam ſene, in quo poſt obitum,

loco

loco veſiculæ biliariæ lapis fuerit inventus. Ob defectum vel inertiam bilis corruptiones ſæpe putredinales in corpore noſtro oboriuntur, ex quibus varia producta, vermes, lumbrici &c. prodeunt; qualem cum nos ipſi & quidem notabiliorem A. 1672. in Academia Jenenſi obſervaverimus, hic annectere non incongruum eſſe duximus: Canis nimirum cultro ſubjiciebatur anatomico, in cujus inteſtino jejuno, dum occupati eſſemus in inveſtigando ductu Wirſungiano, lumbricus ſex ulnarum longitudinem excedens, hoſpitabatur, inſtitutâ accuratiore viſcerum inſpectione, veſiculam biliariam ferè vacuam nobis invenientibus, facillimum erat dijudicare, quam ob cauſam hoſpitio hôc, lumbricis alias ob bilis influxum minus uſitato, uti conſueverat.

X.

Hæc ſatis evincunt, bilem, quando non rectè ſeſe habet, tum chylificationem, tum alias actiones interturbare poſſe. Quapropter, uti antea dictum, beneficâ ipſius præſentia, dulciſſimæ ſanitatis pomœria longè lateque propagari, neminemque ſalutari hoc ſucco deſtitutum, diutius ſuperſtitem futurum, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Siſtat igitur nunc ſeſe vitiata atque in furorem redacta, contemplanda bilis, prout nimirum nobis cauſa Febris Ardentis vocatur.

XI.

Vitium autem atque furor ipſi accedunt variis modis; & quidem ab *Aëre* corpus noſtrum ambiente quam bilis ſortiatur mutationem, prolixiori vix indiget demonſtratione, vim enim ſuam in mutandis corporibus exſerit, vel qualitatum immoderatione, vel ſubſtantiæ vitio, vel ſubita mutatione, vel motu inconveniente. Qualitatum autem intemperies omnis aëri oboritur, ab anni temporibus, locis aut ventis; calida enim aptiſſima eſt aperire poros, quo facto aëri tranſitus conceditur. Noto verò eſt notius à calore debito facillimo negotio oleoſa poſſe rarefieri, idem contingere bilis oleoſitati, ab aëre æſtivo fervidiore diſſolutæ, ſtatuimus. Ab *Aëre* quoque *frigidiore* & denſiore cutis ſpiracula conſtringuntur, indeque effluvia foras eliminari ſolita, introrſum recedunt & ſanguinem de novo exagitant. *Aër humidus*, à locis aquoſis atque paludoſis proveniens, calorem obruendo, poroſque occludendo noxius eſſe poteſt. Ab *Aëre ſicco*, ventis originem ſuam debente, corpora denſantur & humores ſicci durique redduntur, qui iiſdem obſtru-

obstructionibus ansam præbent. Imò dum febres Ardentes vix omni carent malignitate, quandoque adstantibus, miasmate quodam fermentativo inquinatus Aër, perniciosum advehit contagium.

XII.

Peccare porrò bilis potest tam quantitate, quam qualitate; utrumque evenire videmus ab assumtis alimentis aromaticis, atque sale volatili oleoso abundantibus, amaris, acribus atque spirituosis, ut sunt omnis generis aromata, semina atque plantæ, sale volatili acriori prædita e. g. Piper, Caryophylli, Nuces moscatæ, sinapi, Raphanus rusticanus, nasturtium, cochlearia &c. Bilem maximâ acrimoniâ peccantem, suppeditavit nobis cadaver nosocomicum, decurso nuper Novembre mense à viro Excell. atque experientiss. Dn. D. Schachtio P. P. dissectum; Ægra enim dum adhuc esset in vivis, de doloribus totum corpus perreptantibus conquerens, eosdem continuis testata est clamoribus. Aperto abdomine, maxima bilis copia, valdeque spumans, (integra tamen vesicula) effusa super intestina conspiciebatur. Non rarò quoque à nimio corporis motu excitari febrem Ardentem in propatulo est, crebrioribus siquidem corporis exercitiis, non solum ex violentâ concussione, sanguinis liquor valde attenuatur, atque massâ sanguineâ concitatiore cursu per universum corpus agitatâ, particulæ ejusdem oleosæ magis magisque resolvuntur, verum etiam bilis in majori copia ad intestina propulsa, eodemque modo oleositate exacerbata, calor vehementissimus oriri solet. Luculentissimi exempli loco erit nobis Studiosus quidam Jenensis, timens, ne contagium à conterraneo febre ardente extincto, hauserit, liberiore aëre sibi consultum iturus, verum corporis agitationibus indulgens nimis, incidebat in eandem febrem, quam tamen inox subsequebantur hæmorrhagiæ narium pertinacissimæ, quæ, frustra omnibus tentatis, sanguinis fluxum alias sistentibus remediis, comites ipsi usque ad ultimum vitæ halitum permanentes, immaturam licet, blandissimam tamen amico nostro accelerabant mortem.

XIII.

Præterea vigiliæ nimis protractæ suum huc conferunt symbolum, adauctis quippe iisdem absumuntur spiritus animales, arcentes alias humorum acrimoniam, ipsisque justam largientes temperaturam.

raturam. Porro acrimonia bilis alvum sequitur adstrictiorem, sicque febris exurgit, quatenus in intestina sese effundenti, particulæ quædam effervescentiæ nostræ vitali peregrinæ, ex saburra excrementorum, justo diuturniorem moram nectentium, ascendentes communicantur; aut quatenus retinetur in corpore bilis, quæ excernenda erat cum excrementis, sicque in majori per partes distributa copia, inordinatum calorem excitare posse, quis asserere dubitat?

XIV.

Huc quoque spectant animi pathemata, ex quibus ira præcipuum meretur locum, cum spiritus nimia & plus solita copia, aut majore impetu cordi advolant, motumque ejus maximè corripiunt, & horrendis aliquando subsultibus exagitant, unde cordis systole majore facta, sanguis non solum majori cum vi extruditur ex cordis thalamis, verum etiam ubi ad ventriculorum latera & vasorum parietes allidit, nimium conquassatur, itaque particulis sanguinis oleosis è carceribus suis liberatis atque resolutis, calor sobolescit præternaturalis. Idem gaudium nimium efficere, fæminæ in febrem ardentem lethalem incidentis exemplum testatur, quod habet Præceptor olim noster maxima observantia colendus, jamque post fata non sine honoris titulo nominandus celeberrimus Guernerus Rolfincius O. & M. lib. 2. S. 3. c. 106. Experientia quoque testatur à subitaneo terrore metuve ortas fuisse febres Ardentes, in terrore enim à contractione atque concussione plurimarum in corpore fibrarum sanguis inordinatè movetur atque effervescit.

XV.

Cum itaque dictum fuerit, quod turgescentia salis volatilis & oleosi, quod alias bilem vocant, sit causa febris Ardentis, etiam ex hoc fonte erunt desumenda symptomata, & uti diximus esse Pathognomica signa hujus febris ardorem atque sitim, sic ipsi subinde accedunt, linguæ ariditas, labiorum fissuræ, capitis dolor, aliaque symptomata. Ipsam quoque insequitur faucium Ardor, quæ rubore obscuro sunt præditæ, lingua non tam arida, quam colore puniceo nigricante tincta (Thonerus quasi atramento denigratam observavit) conspicitur; Germani talem colorem vocant **Kirsch-braun** / vulgari nomine appellatur **die bräune**.

XVI. Præ-

XVI.

Præterea huic Febri familiaria sunt symptomata Paraphrenitis atque delirium; istius exemplum occurrit apud Thoner. lib. I. observ. 4. pag. 19. de Barone Windischgrätz / qui febre continua sat ardente decumbebat, superveniente Paraphrenisi tam gravi, ut in lecto contineri nequierit, quin vestibus indutus, ex conclavi prosilire anniteretur, tanta ferociâ, ut duo ministri vix pares, ad ipsum compescendum: hujus (videlicet delirii) aliquot exempla non ita pridem cum Cl. Helvetio in juvenculis duabus nos observasse, memoria suppeditat, altera quæ surgens de nocte, ignem exstruxit, hujus tamen facti sequenti die plane ignara: altera quæ stragula, medicamenta & quæ manibus prehendit, à se abjecit, hoc tamen delirium diarrhæa, urinæ excretio involuntaria atque vigiliæ concomitabantur continuæ. Talis febris ab Authoribus vocari solet colliquefactiva sive colliquativa, quia brevi temporis spatio totum corpus emaciat, atque consumit, & si hoc non tam sine sensili excretione, sicut in ardore contingit febrili, quam mediante sensili excretione uti modo de ægra diximus, ejusmodi excretiones dicuntur colliquativæ, sive diarrhæa colliquativa, urinæ fluxus colliquativus. Imò massâ sanguineâ ad majorem redactâ effervescentiam, atque impetuosè nimis ad caput ruente, præsertim si acrimoniâ quâdam scatet, vellicando & succutiendo membranas, capitis dolorem infert. Insigniter quoque turbantur animales spiritus, siquidem nimium calefacto cerebro, vel ipsius poris redditis patentioribus, iidem exagitantur, & quasi in furorem rediguntur, aut etiam à sale volatili nimis oleoso, quasi Phlogosi quadam correpti, in tales inordinatos & confusos motus concitantur, unde vigiliæ capitisque dolor. Quod si autem nulla sensilis observatur excretio, indicium est, massam sanguineam justo acriorem atque ineptiorem esse nutriendo corpori, ardor propterea per totum corpus diffusus, vim liquefactivam possidens, rorem aggreditur nutritium, qui liquefactus sub seri vel halituum forma successivè ejicitur.

XVII.

Hinc prostratæ vires, lassitudo totius corporis. Cumque nimium rarefactus sanguis transit pulmones, cujus effervescentiam aër attractus neutiquam temperare potest, unde respiratio frequentior, quæ tamen difficilis; hinc angustiæ circa præcordia, interdum quoque animi deliquium vel Syncope superveniunt. Alvus interdum

 soluta,

soluta, interdum compressa; solutam tum ab acrimonia bilis, tum ab intestinorum motu peristaltico concitatiore; compressam vero ab ardore, totum corpus extorrente, aut a bile pituitam intestinalem nimium quantum incidente, deducimus, qua incisa atque abrasa ventris morsus, ab acrimonia bilis dependens, subsequi solet. Hisce rariorem quandam adnectere placuit observationem, quam ex litteris Cl. Hamburgensium Practici D.D. Fogelii ad nobiliss. D.D. Limprechtium, amicum meum certissimum, datis, communicatam accepi, inquit ille se servare cujusdam Pueri octennis, qui febre ardente cum malignitate tamen quadam conjuncta, laborarit, frusta Epidermidis, cui integra abscesserit. Potuisse autem quasi ceram a digitis abducere.

XVIII.

Facile itaque Diagnosis patet, diximus enim, Pathognomica Febris Ardentis signa esse, sitim auctam atque calorem ardentem. Pulsus præterea magnus, qui pro bono utplurimum habendus, sed nimis parvus, pro malignitatis æstimatur signo; est quoq; vehemens celer atque frequens, similitudinem fere habens cum illo, qui per crebriorem corporis motum atque incalescentiam in nobis excitari solet. Si vero sit nimis intensus, proque causa nimiam sanguinis agnoscat ebullitionem, necessario deprehenditur vehementior arteriarum vibratio. Urina in hac febre rubra, quam tincturam in præternaturali sanguinis effervescentia acquirit, ubi particulæ salinæ & sulphureæ exactius dissolvuntur, àque sero absorptæ, arctius eidem uniuntur. Crassa vero & turbida fit urina, dum aliæ particulæ heterogeneæ ex sanguine effervescente præcipitatæ, cum reliquis salinis sulphureis exacte uniri recusant, radiisque inde luminosis, propter disproportionatos poros exclusis, liquor minus perspicuus apparet.

XIX.

Prognosin quod attinet, dicimus; si Febris Ardens, mox, uti loqui amant, extremos habeat labores, id est, quæ in principio acuta nimis atque symptomata manifestet graviora, periculosa satis existit. Bonum autem est signum, si æger facile morbum ferre possit, si non æstuet nimium, nec siti inexplebili excrucietur, si absint angustiæ circa præcordia, si respiratio facilis, si nullam partem internam dolere sentiat, si dormiat, si lingua non adeo arida sit. Cum calor intensus, de quo thes. 16. locuti sumus, vaporosus existit; febrem

periculosiorem esse prædicimus, dum enim tangendo arteriam, mador quidam percipitur, indicium est massam sanguineam esse nimis acrem, absente autem hoc madore, temperatiorem eandem esse, asserere nulli dubitamus. Alvi fluxus in principio magnus, qui plerumq; vires corporis prosternere solet, imminentis periculi aut ipsius mortis est indicium. Urinæ quoque interdum periculum denotant, albæ enim in febribus ardentibus periculosissimæ, imò si febris comitem habeat delirium, pro lethali signo haberi solet. De tempore hyemali sua quoque Medici fovent præsagia, dicentes: hyeme ferè periculosiores esse ardores, quod non sint tempori congeneres, itaque concurrisse causam maximam, quæ contrarietatem temporis superarit. Et quia Medico multum existimationis ab indicatione Criticorum motuum accedit, sanguinem è naribus pro-manaturum prænuntiare poterit, si aures & cervix rubentes, cætera pallida, spontaneæ lacrymæ atque caligo oculorum conspiciantur, quibus tamen cum splendore gravitas capitis, colli, frontis & temporum, pulsatio venarum, nec non pruritus narium superveniunt. Vomitus autem signa sunt, horror inferiorum partium, tenebræ objectæ oculis, ventriculi dolor, tenuis sputatio. Sudorem prænuntiant pulsus undosus & præmollis, suppressa alvus simul & urina.

XX.

De tempore durationis notandum, quod, si nimis sit acuta febris ardens, intra diem quartum finiatur, & si sit pura, rarò septimum transeat diem, interdum tamen ad decimum quartum extendatur, cujus exemplum, præsente Excell. Dn. Luca Schacht nobis in nosocomio publico nuper suppeditabat quædam juvencula, quam tamen faciei erisypelas, & uti symptomata urgebant indicantia, pleuritis supervenerant. Porro faciem turgidam atque subtumidam affectus longitudinem prænuntiare à Medicis asseritur, quod utrum pro certo sit assumendum signo, experientia nos aliquando est edo-ctura.

XXI.

Et quia febris ardens, uti aliquoties monuimus inter effectus, recensetur acutos, quandoque natura sibi per Crisin consulit. Opus autem suum sive per sudores, sive per hæmorrhagias utplurimum narium expedit. Exemplum Critici sudoris notatu dignum videre est apud Hildanum centur. vj. observ. 17. de viro quodam robusto,

 qui,

qui, cum à febre ardentissimâ lecto affixus teneretur, septimo die à sudore adeo flavo deprehensus est, visusque ac si croco tinctus esset, & quidem copiosissime. Criseos per hæmorrhagiam factæ, quanquam ob nimiam sanguinis acrimoniam lethalis thes. 12. fecimus mentionem. Occurrunt tamen passim apud scriptores Medicos observationes singulares, quibus ostenditur, Crisin in febribus ardentibus summum attulisse ægrotantibus solamen. Refert Zacut. Lusit. lib. 1. Prax. admirand. observ. 36. in febre Ardente copiosum effluxisse sanguinem ex dentibus, imo Criseos per sputum sanguinis observatæ Prax. hist. c. 6. observ. 4. meminit idem Zacutus Lusitanus.

XXII.

Consideratis itaque, quantum vires nostræ concesserunt, febris ardentis naturâ, causis, symptomatibus, signis diagnosticis atque prognosticis, cogitandum nobis erit de remediis, hostem hunc è corpore humano expellentibus. Cautissimum igitur se gerat Medicus necesse est, experientia siquidem hactenus edocuit, multos pro causo atque alia febre continua curasse malignam, qualia autem ex erronea hac cura ægro oboriri possint incommoda atque pericula, non ignorant ii, qui paulò intimius scrutati sunt febrium naturas.

XXIII.

Ut ut autem alias in febribus ardentibus præstet, sal volatile oleosum effervescens temperare atque alterare, tamen quo tutiori inhæreamus viæ, dubii nimirum, an febris sit evasura in malignam, an ardentem, in principio non immerito ad fontem confugimus Bezoardicum. Ea propter in medium vocari potest Tinctura Bezoardica maximæ famæ Medici Chymicique incomparabilis, D. D. Michaelis, hâc tamen cautelâ, ne nimium æger cogatur ad sudores, qui raro fieri solent, absque notabili noxa atque debilitate. Ad sudores quoque provocandos, non ultimum est remedium Tinctura antimonii, item Bezoardicum minerale, quæ blandè corpora ad sudationes disponunt.

XXIV.

Cum V. S. quam tamen mox in principio suadent Medici, cautè quoque procedendum, tertio enim vel quarto die secta vena, satis periculosa esse solet, uti hactenus funestæ aliquot incisiones quorundam Medicorum, qui complures hac febre obsessos, ad orcum ablegarunt,

ablegarunt, nos edocuerunt. Quippe hac ratione omnes ferè, quæ jam prostratæ atque debilitatæ sunt corporis ægrotantis vires, exhauriuntur, sicque impares fiunt ad resistendum morbo. Joh. Agricola Chymiater & insignis Practicus in sua parva Chirurgia asseverare non dubitat, venæ sectionem in Lue Ungarica, præsertim si ultra 24 horas à prima invasione proroganda, lethalem se plures, quam centum, sanguine detracto observasse, internecioni traditos. Huic similia exempla videri possunt apud Martinum Rulandum, in ejus de lue Ungarica tractatu atque Hieronymum Fracastorium lib. de Contagio. Nam cum harum febrium fomes non consistat in plethora, sed cacochymia, corrigendos potius internis medicamentis, quam educendos esse humores, statuimus. Et si in corpore plethorico aliquando admittitur phlebotomia, neutiquam directè curationem febrium, sed plethoræ evacuationem intendimus. Sed cum nulla aut pauca sit ciborum appetentia, digestio & sanguificatio, necessario quoque mox binis diebus, plethora, si qua sit initio, deficiet, cessabitque ejus indicatio, pro cruoris missione in Febriente, quam opinionem nobis inculcat Johannes Baptista van Helmont. Quod autem mox in febribus non sit amplius plethora, hoc vident, quotquot ulcera è cauterio patiuntur, scilicet mox à febribus siccantur, nec solitum pus dant.

XXV.

Purgantia in principio hujus morbi non sunt præscribenda, nisi id urgeat necessitas, atque æger id ferre possit, ne sanguis jam tum præternaturaliter effervescens, in concitatiorem adhuc motum redigatur. Quanquam contrarium suadere videatur Thoneri observatio 34. quam habet lib. 1. pag. 52. ubi inquit, se cuidam mercatorii ordinis, febre continua correpto, calore non naturali in toto exorbitante, magno imprimis ardore atque incendio circa dextram abdominis regionem, intestinorum cum locis vicinis inflammationem contestante, accedente ἀνορεξίᾳ & oris amarore, exhibuisse hunc bolum purgantem; ℞. Magist. Jalap. gr. xv. Essent. scam. gr. vj. Elect. Lenit. ℥ß. M.F.B. Exinde sat largos secessus septem subsecutos, excreta materia valdè crocea & fervidâ, humorem biliosum prodente, cum magno levamine, φλογώσεως remissione. Tutius tamen atque majori cum successu, postquam natura morbum superavit, præscribuntur. Sed durante morbo, atque alvo adstrictiore urgente, ad clysmata confugiat Medicus, sic enim impediet,

quo minus æger crebrioribus defatigetur dejectionibus, ipsum quoque ab aëre ambiente utplurimum frigidiore adeoque nocivo, præsertim hisce in regionibus, ubi ob fornacum defectum aër minus temperari solet, est præservaturus. Quod si verò alvus sit nimis laxa, convenientia Enemata, humorum acrimoniam corrigentia, neutiquam sunt negligenda, eadem enim hoc pacto evitabimus incommoda, quorum in principio hujus thes. facta est mentio.

XXVI.

Imò si ægri patiatur natura, *Vomitoria* non erunt infimi subsellii, magna enim bilis per hæc ejicitur copia, quam sæpenumerò viscosa satis, fermentumque ventriculi obtundens, concomitatur colluvies. In horum classem præprimis trahendus est *Tartarus* Emeticus Mynsichti, cujus egregias virtutes nos Experientia Cl. cujusdam Medici hactenus sufficienter edocuit.

XXVII.

Præterea *Opiata* cautum requirere Medicum in propatulo est, quippe intempestivo adhibita tempore, recidivam pati faciunt ægrum. Sic pessimè in principio aut statu morbi, quando Crisis imminet, in medium vocantur, magis tamen in incremento morbi conducunt, omnibus enim symptomatis quasi frænum injiciunt, somnum promovent, delirium abarcent, doloresque præsertim capitis, multò mitiores reddunt. Ea propter Medici Syr. Papav. errat. ad ℥j. cum tantillo Nitri mixtum, utpote nobilissimum, satisque blandum maximis extollunt laudibus. Nobis Essentia Opii Nepenthes alias convenienti vocata nomine in justa propinata dosi, vel Laudanum Opiatum in decenti ad gr. ij. vel iij. exhibitum mixtura, sufficiet.

XXVIII.

Gargarismata quoque, ubi lingua adusta atque subnigricans apparet, non sunt omittenda, ea nimirum non solum viscosos & pituitosos in faucibus hærentes humores attenuant atque educunt, verum etiam continuum linguæ ardorem atque sitim compescunt. Egregii sunt valoris; Folia Prunel. Salic. Fragar. cum s. q. hordei decocta, si colaturæ addatur nitrum depuratum vel lapis Prunel. in s. q. Venas Raninas, si nimis conspiciantur tumidæ, incidendas esse suademus, experientiâ siquidem Medicorum hæc nostra asserta satis sunt stabilita.

XXIX. Ad

XXIX.

Ad *externos usus* commendare solent Medici cataplasmata ex farina hordeacea, subacta succo lactucarum, cucumeris, polygoni, plantaginis, capreolorum vitis & similium. Folia Lactucæ, ramenta cucurbitæ, aut cucumeris, manibus contrectantur & admoventur plantis pedum. Interdum quoque pedes aquæ frigidissimæ immerguntur, cui tantillum vini, vel ad faciliorem penetrationem vel ad refringendam frigidæ vim, immiscent. Genitalia involvuntur linteo, subinde inculcato in miscella ex aqua rosarum, vino tenui & aceto; etenim mirabiliter contra æstum facere perhibent. Verum omnia hæc frigida, intempestivo non applicanda sunt tempore; quippe initio & augmento febris non conveniunt. In vigore & declinatione æstum exstinguunt. Quid de pulmonibus recens mactatorum animalium, columbis, pullis, catellis divisis mediis, raso capiti, pectori, plantis, hypochondriis, ut tepido calore calorem igneum foras attrahant, admoveri solitis, sit sentiendum, hic recensere supersedebimus.

XXX.

Tandem quod ad Diætam pectat, monendi sunt adstantes sive cognati, ne liberiorem ægro denegent potum. Pessime enim eos Medicos agere quis ignorat? qui, nescio, qua ducti ratione, licet ardor atque sitis maxima ægros afficiant molestia, nihilominus tamen omnem fere potum ipsis interdicere solent. Quod si vero eosdem in agone ferme constitutos atque semimortuos conspiciunt, plenos cyathos exhaurire juben, magna cum febricitantium jactura atque periculo. Nos dum suademus, ut parcius, frequentius tamen bibant, nec una vice copiosum haustum ingurgitent, non in cassum id proposuisse, firmissimis rationibus sumus persuasi. Panirollus Pentecost. 1. observ. 31. mentionem facit cujusdam Juvenis, qui febre ardentissima, maximis symptomatibus correptus, mortuus est; secto cadavere, cor torrefactum pyri tosti imaginem repræsentans, absque ulla pericardii aqua, inventum fuit. In alio juvene 25 annorum 24 horarum spatio, mortuo, internam ventriculi tunicam absque omni muco, sicut ab igne corrosam deprehendit. ibid. observ. 20. idem pentecost. 4. observ. 8. mentionem facit, A. 1649. infinitum propemodum ægrorum numerum e vivis esse sublatum, ob prohibitum frigidæ potum, eosque, cum siti maxima torquerenter, exustos obiisse. Sectis cadaveribus ventriculus, cor, pulmones & reliqua viscera tanquam exusta apparuisse. Consilio

autem

autem excellentiss. Fonsecæ Innocentii X. Medici & Cubicularii, multos deinde ab assumtis in satis magna copia aquis hordeaceis; è mortis laqueo fuisse ereptos. Pentecost. 2. observ. 45. laudatus Panirolus in febribus ardentibus fauces ita exsiccatas vidisse testatur, cum suffocationis metu; Administrato vero aquarum refrigerantium potu, febricitantes à suffocatione necisque periculo illico convaluisse. Quanta igitur mala ex interdicto potu suboriri possint, nemo non conjicere potest. Hollerius aquam frigidam ante vigorem usui esse non posse statuit. Aetius permittit, si quintam partem aquæ temperatæ ad aquam frigidam adjicias. Aliqui pane prius eloto, abjectaque priore aqua, aquam conficiunt, quam panatam vocant, eamque frigidissimam propinant, sed maxime in vigore. Nobis Matronam quandam Hagiensem nosse contigit honestissimam, quæ febri ardentissimâ laborans, crebrioribus aquæ communis haustibus pristinam recuperavit sanitatem. Idem mihi de se ipso testatus est, Medicus quidam satis celebris probatæque fidei, studiorum meorum Promotor exoptatissimus. Sic fertur, hanc curandi febres ardentes, methodum, in Insulis Canariis esse communissimam.

XXXI

Victus tenuis sit, corpora enim impura, quo magis nutriuntur, eò magis læduntur, juxta Hippocratis nostri mentem; neque dum appetitus utplurimum accusatur prostratus, ægri ad esum carnis, ovorum, piscium & jusculorum sunt cogendi, facilè quippe hæc cadaverantur, sicque minimè nutriunt. Nos cum Helmontio per victum tenuem intellectum volumus, cerevisias tenues vino nuptas, quibus panis admiscetur, prius in aqua separatim coctus, usque in collam sive mucilaginem. Hæc frigida non cocta sunt assumenda, coquendo etenim multum ipsis decedere virtutis, quis ignorat? Quæ autem alimenta ad producendum atque augendum hunc morbum, vitia sua conferant, quæque evitare expediat th. 12. indigitavimus. Sed in quantum, durante febre, appetitus est diminutus, in tantum, homine convalescente, fit auctus. Sedulò igitur sibi caveat sanitati restitutus, necesse esse, ne famelicum ventriculum, nimiis ciborum obruat ingestionibus; experientiâ quippe compertum est, multos, qui hancce suam voracitatem compescere malunt, quam pauco atque tenui victu vivere contenti, recidivam fuisse passos. Debilius siquidem ventriculi fermentum tantæ alimentorum copiæ, acorem suum communicare nequit, ea propter maximam illo-

rum

rum partem intactam relinquit, unde hæc massa minus fermentata, novi mali causa existere potest.

XXXII.

Hæc sunt, quæ temporis penuria benevoli lectoris judicio, concessit submittere. Si quid in his meis cogitationibus censura tua dignum videbitur, mecum age tanquam cum Medico non tanquam cum oratore. Interea hisce conatibus favorem tuum denuo promittens, DEUMQUE T. O. M. humillimâ venerans submissione, quod gratia sua, durante mirabili studiorum meorum curriculo clementer mihi adesse, tandemque ad propositum atque exoptatissimum scopum perducere voluerit, disputationi huic inaugurali impono

F I N E M.

IN

Nobil. DN. Candidati

SYMBOLUM:

Sudorem Gloria Sequitur.

Ista videbatur ſtudiis ſuperanda relinqui,
Dulce Caput, *Scholtzi*, meta ſuprema Tuis,
Carcere quò caperes emenſo cigna laboris,
Tantorum & propriæ præmia digna ſpei.
Haud fruſtrà madido quondam *ſudore* notavit
Diffluxiſſe Tuas *Gloria* Dva genas,
Conſtantem tacito laudavit inomine niſum,
Quo Medicæ ambibas inpiger artis opes,
Riſaque perverſæ ſtupuit ludubria ſortis
Quæ Tibi ſucceſſus prompta negare fuit;
Et modo profectûs ſpecimen non vile ſecundi
Per Tua *de Cauſo* lemmata docta legens;
Viciſti intrepido, labor improbe, robore tandem,
Præmia ſudorem noſtra *ſequantur*, ait.
Suſcipe commeritas, *Scholtzi*, nunc ſuſcipe laudes,
Diſceque perpeſſi deneminiſſe mali.
Si pretioſa, gravi quæ ſunt congeſta labore;
Gloria ſudoris clara *ſequela* Tui eſt!

Alludens de acquirendis dignè honoribus gratulari voluit

ERNESTUS FRIEDEMANN. SCHELHASZ.

Jenenſis, Med. Doct.